

1. De responsionibus in Digis.
2. De diffinitione intel. factum animatum et non animatum
3. De approbatione plectar.
4. De acquisitione Domini ex lege
5. De punitibus in paretis & consuetudinibus
6. De coarctatione infantium
7. De usufructu patris in bonis liberorum
8. De communi bonorum intel. corpore
9. De fidei pemi. laudemialis.
10. De pulchritudine
11. De iure facinororum illeptium
12. De legitimo ubi juramentorum
13. Non Pluribus fidei.
14. De traditione debitoris a mariti exortoris
15. De ppolio usurarum.
16. De punitate mercatorum.
17. Non Ligno hinc.
18. De malefactoribus episcipum
19. Non Ligno quibus
20. De Alexio tranquillitatem pubis vio lante
21. an haeserit sit carmen. 22. De arbitrio pudes
23. De possessione ecclesiae in bonis minis.
24. De statu episcoporum. 25. De magis.

+



107

107

Notizen 2. §. Disputationen.

107
+



r

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
ERNESTO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
ANGARIAE ET WESTPHALIAE RELIQA
SVMMO TOTIVS EQVITATVS CAESAREAE QVONDAM MA-
IESTATIS PRAEFECTO AC LEGIONIS PEDESTRIS
AEQVE AC EQVESTRIS TRIBVNO EODEMQVE
CAESAREANO

EX DECRETO
ILLVSTRIS ET GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRO LOCO
IN EADEM RITE OBTINENDO

DISSERTATIONEM
DE
**DISTINCTIONE
INTER FOETVM ANIMATVM
ET NON ANIMATVM**

EX MEDICINA FORENSI ELIMINANDA
DIE XI MARTII MDC XXXVII.

CONTRA ERVDITORVM DVBIA DEFENDET
CAROLVS FRIDER. KALTSCHMIED

MED. D. ET PROFESSOR ORDINARIVS, SERENISSIMI MARCHIONIS BRAN-
DENBVRGICO-CVLMBACENSIS CONSILIARIVS AVLICVS, SERENISSIMI
DVCCIS SAXO VINARIENSIS ET ISENACENSIS CONSILIARIVS ME-
DICVS ET PHYSICVS, COMES PALATINVS CAESAREVS ET ACA-
DEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM SODALIS.


IENAE, LITTERIS SCHILLIANIS.

RECTORI MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI
D O M I N O
ERNESTO AUGUSTO
DVO RAZONIAE EPISCI CIPRI MONACHO
ANDALASAT VESTIBALIS
SYMBO DUTIVE DE IUVIS PRAESIDI CONYDAM MA
TESTATEM KATHEGOTO AC ENCLINIA REBETAS
ANQVE AC BOYSSERIS PATTINO TOMMYVY
CAPITALIO

IX DECRETIO
HVSERIS ET GALVALLIATA STATIS MOISSE
P R O L O G O
IN PABER RIVS ET RIVIO

DISSENTIONT
INTERROTTVM ANIMATVM
D E M O N S T R A T I V M
IX MEDITATIONE JUDICANDI
CONTRA EXTERIORA DEVA IMPEDIENTIA
CATOLVS PAVVS KATHEGATED
DVO RAZONIAE EPISCI CIPRI MONACHO
ANDALASAT VESTIBALIS
SYMBO DUTIVE DE IUVIS PRAESIDI CONYDAM MA
TESTATEM KATHEGOTO AC ENCLINIA REBETAS
ANQVE AC BOYSSERIS PATTINO TOMMYVY
CAPITALIO





§. I.



Legibus et diuinis naturalibus pariter ac positiuis et humanis, immo ipsi humanitati nullum magis detestabile existere scelus, quam homicidium dolosum, neminem fugit, nisi qui ab ipsa humanitatis cultura plane abhorret. Merito igitur poenam capitis luit, qui nefanda proteruia vitam homini eripit.

§. II.

Prout autem et hoc scelus varios admittit gradus, poenae quoque eorum mensuram merito sequuntur, ita quidem, vt atrocius omni aeuo iudicatum parricidium par sceleri secuta fuerit legum seueritas, cum contra et mitiorem poenam expectent



Etent ii, qui in perpetrato homicidii scelere ex circumstantiis repetere aliqualem videntur excusationem.

§. III.

Hanc haecenus inuenere et meretriculae, quae abortum procurarunt, et ii, qui nefario ausu abortum variis moliminibus perfecerunt, vbi foetus ex vtero eiectione ante dimidium gestationis tempus fuit procurata.

§. IV.

Inualuit nimirum apud ICtos in diiudicando abortus procurati scelere et poena dicenda distinctio, inter foetum animatum et non animatum, siue formatum et non formatum, summoque dignum supplicio censent, qui foetum animatum s. formatum dolose ex vtero eiiciunt, leuiori poena affligendum, qui non animati siue non formati eiectionem tentant.

§. V.

Nobile satis hoc duximus argumentum, quod vteriori disquisitioni subiiceremus, vbi officii ratio postulat, dissertationem iussu gratiosae Facultatis Medicae conscribere, eandemque publice ventilare, pro loco in eadem more maiorum obtinendo.

§. VI.



§. VI.

Nostri iam instituti ratio non permittit, mo-
lem scripti iactare, altius repetendo prima huius
distinctionis incunabula, quae iam vberius et eru-
dite satis ac nitide legi possunt in Dissertatione
Illustris Boehmeri de caede infantum in vtero
Halaë 1740. habita, qui et ipse hanc distinc-
tionem §. 34. in apertissimo fundatam errore pro-
nunciat.

§. VII.

Facem potius accendere placet, ex hodie-
no artis medicae splendore, tenebras antiquae
infirmi-
tatis discutiente, vt appareat, nulli eiec-
tionem foetus ex vtero praematuram dolose ten-
tanti patere asylum, ex argumento constitutionis
Carolinae.

§. VIII.

Satisfacturi huic instituto paucis hac Dissen-
tatione enucleabimus, 1) tenorem Constitutionis
Carolinae ad hanc materiam spectantis. 2) Dis-
quisitionem, an exhauriat distinctio inter foetum
animatum et non animatum, s. formatum et
non formatum, mentem Carolinam. 3) An in
tanta artis medicae luce hodie sit admittenda. Fa-



xit Deus, vt et hic labor in sui gloriam publicam-
que cedat vtilitatem.

§. IX.

Constitutio Criminalis Caroli V. Art. 133. de
abortu procurato haec habet: *So iemand einem
Weibsbild durch Bezwang Essen oder Trinken
ein lebendig Kind abtreibt, wer auch ein Mann,
oder Weib unfruchtbar macht, so solch Uebel
fürsetzlicher oder boshafter Weise geschicht, soll
der Mann mit dem Schwerdt als ein Todtschläger
und die Frau, so sie es auch an ihr selbst thäte, er-
tränkt oder sonst zum Tode gestraft werden. So
aber ein Kind, das noch nicht lebendig wäre, von
einem Weibsbilde getrieben würde, sollen die Ur-
theiler, der Strafe halber sich bey den Rechts-Ver-
ständigen oder sonst, wie zu Ende dieser Ordnung
gemeldet, Raths pflegen.*

§. X.

Constitutio igitur Caroli V. Criminalis expres-
sis verbis viui foetus abortum procurantes sum-
mo dignos pronunciat supplicio. Foetus autem
non viui expulsionem poena arbitraria punien-
dam censet.

§. XI.



§. XI.

Foetum viuum vulgus credit, vbi ad dimidium gestationis tempus adspirauit et robur aliquale corporis assumsit, motuque ad sensum matris edito in vtero signa vitalitatis palam facit.

§. XII.

Cumque aliter vitae foetus signa a matre percipi nequeant, quam post motum in vtero perceptum a matre, circulus autem sanguinis olim non innotuerit, probabile antiquioribus visum fuit, Medicis ac Iure Consultis Medicorum fidem sequentibus, foetum a tempore motus editi demum vita frui.

§. XIII.

Vita autem per principia physiologica nihil aliud est, quam duratio circuli sanguinis dependens a miscela fluidarum et structura solidarum partium.

§. XIV.

Miscela fluidarum diuersissimas ipsa natura particulas sanguinem constituentes supponit, vt hae ex diuersa actione, nisu et renisu in se inuicem motum producant, quem intestinum appellant, impulsuque simul in parietes vasorum per
motum



motum intestinum facto et inde secuta solidarum
reactione motum progressuum sanguinis iu-
uent.

§. XV.

Solidarum natura est, vt tendi quidem, tensa
vero simili virtute resistere possint. Elastica haec
vis solidarum partium s. fibrarum, qua dilatatio
et coarctatio perficitur, canalium fluida continen-
tium, dicitur tonus.

§. XVI.

Partes sanguinem constituentes sunt sulphu-
reae, salinae, aquosae, terrestres et aerae, quarum
praesentia in physiologicis demonstratur.

§. XVII.

Et actionem in se inuicem particularum ha-
rum diuersissimarum altius repetere superfluum
esset, cum nemo Physicorum, Chymicorum et Me-
dicorum nec praesentiam nec actionem in se in-
uicem harum particularum neget, nec motum in-
de sanguinis intestinum diffiteri audeat.

§. XVIII.

Motum intestinum particularum imprimis fa-
lino sulphurearum actione continua in se inuicem
laborantium particulisque aquosis temperatarum
calo-



calorem inducere ex physiologicis et physicis etiam patet.

§. XIX.

Sanguinem igitur ex actione diuersarum particularum calidum et turgidum, canalibus contentum, fibras eorum stimulando et distendendo easdem tono praeditas ad reactionem stimulare, inuitare et ad motum progressiuum promouendum concitare patet.

§. XX.

Canales vaforum per totum corpus ita distributorum, vt ex corde fluida propulsa ad cor iterum reduci queant, ex anatomicis et physiologicis demonstrantur.

§. XXI.

Motus progressiuus sanguinis, per canales vaforum per totum corpus ex corde propulsi et ad cor reuertentis, circulus sanguinis audit.

§. XXII.

Durante hoc motu progressiuo s. circulo sanguinis vita durat, sublato circulo sanguinis vita perit. Vita igitur consistit in duratione circuli sanguinis.

B

§. XXIII.

§. XXIII.

Initium igitur vitae hominis est initium circuli sanguinis, et initium circuli sanguinis est initium vitae.

§. XXIV.

Ex causis circuli sanguinis, s. causis vitae, miscela nimirum fluidarum et tono solidarum partium, quae simul sumtae naturam constituunt, fluunt praeter actiones vitales, pulsus scilicet, siue constrictionem et dilatationem cordis et arteriarum, per vices repetitam et respirationem s. reciprocam aeris admissionem in pulmones et emissionem ex his, etiam actiones naturales: secretio et nutritio.

§. XXV.

Secretio est separatio fluidi a fluido per certa organa facta.

§. XXVI.

Nutritio est vel vera vel spuria. Illa est augmentatio corporis, per lympham gelatinosam in partes nutriendas secretam, molem et robur augmentem. Haec est regeneratio consumpti in partibus per usum.

§. XXVII.



§. XXVII.

Lympham s. partes aquoso-gelatinosas sanguinis, et ex hoc per certa organa separatam, esse materiam nutritibilem corporis, ex physiologicis patet.

§. XXVIII.

Non moramur experimenta hoc vberius demonstrantia, cum ex physiologicis clarum sit, durissimas etiam corporis nostri partes, totumque corpus, in lympham gelatinosam redigi posse, inque ouulo impraegnato nil nisi lympham contineri, nil nisi fluidas partes, sc. sanguinem, lympham continentem, per vterum eiusque placentam in ouulum reduci, corpus itaque foetus non nisi ex fluidis formari, solidas igitur et fluidas partes ex fluidis perfici.

§. XXIX.

Ad nutritionem partium requiritur, vt pars nutriens in parte nutrienda sine corruptione commorari possit, partesque nutritibiles in toto corpore praesentes sint.

§. XXX.

Sanguis ergo, vt fluidum in toto corpore praesens, particulas nutritibiles fecernere in partes nutriendas debet.



§. XXXI.

Particulas sulphureo-salinas ob corruptionem per stasim conceptam, aereas et subtilissimas aquosas et spirituosas ad nutritionem ineptas esse, experientia testatur.

§. XXXII.

Solis igitur particulis aquoso-gelatinosis, in sanguine praesentibus, opus nutritionis relinquitur.

§. XXXIII.

Nutritio praesupponit secretionem lymphae, per §. 30. Secretio fluidi et hinc secretio lymphae praesupponit fluidum, a quo secernitur p. §. 29. fluidum, a quo secernitur fluidum nutritium, praesupponit fluidum ubique in corpore praesens, p. §. 32. ergo sanguis eiusque circulus adesse debet in omnibus partibus nutriendis, vbi nutritio incipere debet.

§. XXXIV.

Initium nutritionis praesupponit initium circuli sanguinis p. §. antecedentem, ergo initium vitae p. §. 26. vita igitur adesse debet primo statim initio hominis, vbi post impraegnationem ouuli flamina hominis in eodem latentia, continuato per vterum in cohaerens ouulum circulo sanguini-



fanguinis, eodem fanguine replentur et augmentum capiunt, siue nutrirri incipiunt.

§. XXXV.

Stamina hominis in ouulo latentia, iam per nutritionem aucta siue ad molem excrescentia, dicuntur foetus, ad aliquale robur perducta et in corpus magis perfectum explicata, dicuntur embryo.

§. XXXVI.

Ex haftenus adductis patet, ad vitam hominis qua talem non requiri animam, sed vitam s. durationem circuli fanguinis mere sequi causas mechanicas, nimirum miscelam fluidarum et structuram solidarum partium et inde orientem motum. De nexu tamen animae cum corpore infra quaedam monebimus.

§. XXXVII.

Augmentum stamina foetus in vtero capere nequeunt sine circulo fanguinis, initium igitur nutritionis foetus praesupponit circulum fanguinis per stamina foetus, et hinc vitam, cum vita consistat in circulo fanguinis et huius duratio vitam emetiatur.

§. XXXVIII.

Cum igitur vita hominis incipiat statim post



conceptionem et adesse debeat in primo augmento flaminum corporis humani per sana et nostro tempore in apricum posita principia medica, Iurisprudencia leges ad casus praesentes prudenter accommodare satagens, mentem Imperatoris Caroli V. gloriosissimae memoriae aliter intelligere non potest, quam quod gloriosissimus Imperator in Constitutionis suae criminalis Art. 133. §. diff. nostrae 6ta adducto omnes viuum foetum s. foetum statim post conceptionem dolose ex utero remouentes damnare capitis voluerit, cum adiecta verba de foetu non viuo saltem ex obscura adhuc tum temporis notitia de initio vitae foetus fluxerint.

§. XXXIX.

Foetus igitur ab initio conceptionis viuus ex utero dolose eiectus etiam secundum constitutionem Carolinam seueritatem et vindictam cum supplicio sceleratorum postulat.

§. XL.

Promissis in §. 7. vt stemus, sequitur disquisitio in distinctionem de foetu animato et non animato, an haec nimirum adaequata sit legi Carolinae.

§. XLI.



§. XLI.

Lex adducta Carolina neci dat eos et eas, qui vel quae foetum ex vtero eiiciunt viuum, poena vero arbitraria dignos censet, qui non viuum remouent, si igitur haec distinctio sc. inter foetum animatum et non animatum applicari debet ad legem Carolinam, idem dicere vult distinctio ac distinctio inter foetum viuum et non viuum. Ex duplici autem capite non accommodata erit distinctio haec legi, 1) vbi adhuc dubii haeremus, quo quidem tempore anima nostra ingreditur corpus. 2) si etiam de tempore vnionis animae cum corpore certi sumus, siue in primum conceptionis sc. in vltimum partus tempus eam reiciamus, viuum tamen corpus foetus interemtum postulat supplicii vindictam.

§. XLII.

Si dubii haeremus, quo tempore anima cum corpore combinetur, sciamus autem, quod primam post conceptionem foetus sit viuus, foetus viuus autem idem in diiudicando scelere nobis sit ac foetus animatus, foetum animatum dicamus necesse est statim post conceptionem.

§. XLIII.



§. XLIII.

Quemadmodum enim hominem decrepitum, vel extremis partibus iam frigentibus in agone constitutum et ad motus actionesque corporis inhabilem, nondum mortuum s. anima orbatum dicere, sed ex vita decedentem pronunciare cogimur, ita foetum, ob infirmum primis mensibus ad motum edendum corpus, pronunciare non viuum s. non animatum, nefas esset, quamuis ob mollitiem et infirmitatem partium motus ad sensum matris edere nesciat.

§. XLIV.

Circulus sanguinis vtique adest in foetu in primis aequae ac vltimis mensibus, ergo vita, ergo pulsus cordis et arteriarum, ergo motus, quamuis per artuum imbecillitatem fortiori nisi versus parietes vteri careat. Ergo tum demum animatum seu viuum dicere foetum, vbi Vto gestationis mense motum fortiolem edit, non conueniens est argumento legis Carolinae, postulantis supplicium foetus viui interemti.

§. XLV.

Si autem certi sumus de tempore unionis animae cum corpore, tamen eadem distinctio inter fo-

foetum animatum et non animatum rigorem legis Carolinae iustissimum non attingit, cum aut ad primum conceptionis punctum referri debeat vniō, aut legis rigor viuum foetum dolo extinctum et sic secundum recentiorum notitiam foetum etiam post conceptionem dolose remotum supplicio necantis vindicandum iubeat.

§. XLVI.

Eo magis autem animaduersionem meretur haec distinctio, cum in leuioribus sanguinem humanum non concernentibus argumentis sententias corrigere et emendare non dubitemus, si experientia optima rerum magistra et temporis ac longiori rationis vsu edocti principia leuioribus fundamentis firmata videamus, cum tamen haec distinctio eorum Medicorum ac Philosophorum coniecturis ac iudiciis sit superstructa, qui nec animae nec corporis nec vtriusque coniunctionem ex tam valido argumentorum genere, quod nostra suppeditare tempora valent, fulcire et roborare theses suas valuerunt, quod quidem distinctionis fundamentum admodum infirmum Illustris Boehmerus in supra laudata Dissertatione de caede infantum in utero conie-



Eturis de foetus vita incipiente eiusque vnione cum anima superstructum hodiernis temporibus explosum eleganter satis iam commonstrauit, in antecedentibus autem ex principiis sanioribus medicis a nobis satis infirmatum est.

§. XLVII.

Obstare nobis posset 1) eorum sententia, qui foetum in vtero latentem non propria vita viuere, sed matris tantum frui vita eiusdemque circulo ac nutritione gaudere statuunt. 2) Locus Exodi capite 21. v. 22, vbi diuinus ait legislator: si qui dimicando mulierem grauidam vulnerauerint et abortum intulerint, si perniciēs non fuerit, ad aestimationem mariti mulieris multa esto et ad eam rem arbitri sunt. Sin autem perniciēs fuerit, vitam pro vita pendito.

§. XLVIII.

Si vero foetum in vtero latentem pro viscere matris vendideris, et matris saltem circulo ac vita vti statuas, idem ad partum vsque credas necesse est, cum nemo negauerit et negaturus vnquam sit, per foetum in vtero latentem sanguinem ex matre pelli, foetumque inde nutriri, foetui autem vitam denegare idem esset, ac brachio alteri homi-



hominis robusti vitam denegare, cum impulsus sanguinis in brachium ex aliorum virtute viscerum deriuandus sit, foetusque et vltimis gestationis mensibus ex vtero praemature exclusus vitam continuare valeat, immo ad tempus viuat, matre licet primis gestationis mensibus extincta. Et viuere foetum non negandum, quamuis circulo matris auctum et adiutum, immo ex matris partibus enatum atque roboratum, cum circulum sanguinis per foetum cum matre vnitum et partes eius continuari quidem, sed et tono foetus ipsius partium persequendum esse ex principiis physiologicis satis constet.

§. XLIX.

Nec Exodi adductus locus nos ferit, vbi puniendus est diuersa ratione, qui vitae foetus in vtero constituti ex improviso officit. Nulla enim ibidem de foetu dolose eiecto mentio, nec foetus moles ponderata, sed ratio potius habita matris, cum insidias foetui vim inferre voluisse dimicans in citato loco non fuerit creditus. Multo minus legem Carolinam infirmare potest locus exodi, cum summi principis potius summa virtus



in coercendis et feueritate legum fugandis hominum sceleribus eniteat, ipsique integrum sit, legum diuinarum feueritatem pro increscentis malitiae gradu extendere.

§. L.

Tandem quaestio oritur; an distinctio de foetu animato et non animato in tanta veritatum luce hodie sit admittenda? quod admitti nequeat, ex antecedentibus quidem patet et 1) quia vigorem legis Carolinae non exhaurit, quippe quae lex morte dignos iudicat omnes, qui foetui viuo vitam eripiunt, cum foetus a conceptionis tempore sit viuus. 2) Quia, si inter foetum viuum et non viuum distinctio valeret, foetum tamen animatum Vto demum gestationis mense nemo demonstrauerit. 3) Ad animam ratione vitae foetus in puniendo delicto non attendi posset, siue enim anima ad motum vitalem foetus facit, tum adesse primo post conceptionem tempore eandem necesse est, aut ad vitales motus non requiritur anima, tum vtique capitis reus est, qui foetum viuum interemit, s. sit animatus, s. non animatus, quem tamen nec vnquam inanimatum extitisse credimus.

§. LI.



§. LI.
Vbi enim distinctionem inter foetum animatum et non animatum ulterius sub examen reuocamus, et eandem foetui primis mensibus incrementum in utero capienti animam denegatam inuoluere videmus, hanc ipsam acutorum censuram Philosophorum merituram non dubitamus.

§. LII.

Nexum s. vnionem animae cum corpore inquirentes Philosophi in triplex abeunt agmen, singulis pro suis principiis causam dicentibus.

§. LIII.

Primum agmen systema influxus Physici defendit, vbi nexum inter corpus et animam talem statuit, vt reciprocam actionem idearum materialium in animam atque animae in liquidum nerueum adesse permittat.

§. LIV.

Secundum adornant ii, qui Systema assistentiae fingunt, ita quidem, vt Deus modifcet animam in gratiam corporis et corpus in gratiam animae, sic, vt secundum ordinem a Deo huic



vniuerso generaliter indictum actiones vicissim
determinentur.

§. LV.

Tertium agmen constituunt ii, qui systemati,
quod aiunt, harmoniae praestabilitae subscribunt;
vbi animae ideae ita corporis materialibus ideis
respondent, vt harmonia primitus in creatione
corporis et animae huius vel illius constituta,
actiones vtriusque sibi respondeant.

§. LVI.

Ratione productionis animae, omnes, vel ani-
mas a Deo creatas singulas, vel a parentibus in
liberos traductos, statuunt.

§. LVII.

Nostrum iam non est, vlli systemati subscri-
bere, aut contrariari vlli. Quicumque autem
vnionis modus placuerit, aut quacunque demum
ratione anima producta fuerit, sufficit nobis,
quod nulla hypothesis de animae vnione cum
corpore aut de productione animae thesibus no-
stris aduerfetur, foetum potius non animatum
non permittat.

§. LVIII.

Quodsi credas per traducem animam produ-
ci



ci et sic hominem secundum utramque substantiam propagari, utique totius hominis formatio cum initio vitae probabilis est.

§. LIX.

Sin vero magis placeat, animam seorsim a Deo creatam, et hanc potius cum hominis prima formatione et vitalitate uniri, magis probabile est, ut integer homo concipiatur, quam ut unionem in subsequens tempus differri credamus, aut certe si in dubio tempus relinquatur unionis, nec foetui implantari dici potest anima tempore gestationis medio.

§. LX.

Quacunque demum ratione siue secundum quod systema agat anima cum corpore, certe cum corpore et initio potius corporis quidem agere eandem probabile est, quam ut corpus nostrum a brutis longissime recedens adeo in formatione sua a brutis non abhorre credamus, ut potius corpus nostrum brutis plane per quatuor menses simile fingamus et tandem animam accedere imaginemur, cum potius ex diuina benedictione perpetua




tua primis parentibus data homo hominem producat, non autem in matre brutum primitus corpus latere per quatuor menses permiserit et animam demum immittere voluerit.

§. LXI.

Est igitur, ut in Medicina forensi distinctionem inter foetum animatum et non animatum delectamus, quippe quae multis adeo infanticidis asylum aperit, id quod et humaniores Iure Consulti agnoscunt, cum potius diuinis aequae ac humanis legibus respondeat rigor; innocentissimi in vtero corpusculi humani mollitiem pro summa imbecillitate accuratam tutelam, excubiasque exquisitissimas agere; et aequitas postulet, ut, ubi quis immani scelere ac pessimo ausu infontem plane foetum in primis latebris necauerit, par sceleri vindicta per supplicium, in lege Carolina praecipuum, eum sequatur.







97198

ULB Halle

3

003 906 663




sb.

1078

VJ 77








B.I.G.

Farbkarte #13


 MAGNIFICENTISSIMO
 PRINCIPE AC DOMINO
 DOMINO
 TO AVGVSTO
 AE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,
 AEET WESTPHALIAE RELIQVA
 EQVITATVS CAESAREAE QVONDAM MA-
 AEFECTO AC LEGIONIS PEDESTRIS
 EQVESTRIS TRIBVNO EODEMQVE
 CAESAREANO

 EX DECRETO
 RATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
 RO LO CO
 ADEM RITE OBTINENDO

 DISSERTATIONEM
 DE
 TINATIONE
 DETVM ANIMATVM
 ON ANIMATVM
 ICINA FORENSI ELIMINANDA
 E XI MARTII M DCC XXXXVII.
 ERVDITORVM DVBIA DEFENDET
 FRIDER. KALTSCHMIED
 ORDINARIVS, SERENISSIMI MARCHIONIS BRAN-
 AGENSIS CONSILIARIVS AVLICVS, SERENISSIMI
 RIENSIS ET ISENACENSIS CONSILIARIVS ME-
 VS, COMES PALATINVS CAESAREVS ET ACA-
 NATVRAE CVRIOSORVM SODALIS.
 E, LITTERIS SCHILLIANIS.

